

3.

o
a

4.

- mus: frater Romuli
- tum: locus, in quo mortuus comburitur et sepelitur
- na: soror Didonis
- bernator: rector navis
- pula: calamus frumentorum
- alii: sacerdotes Martis
- ma: ventus, aer
- ra: cunctatio, dilatio
- urrus: idem ac murmur, strepitus
- que: particula copulativa
- rela: querimonia, conquestio
- ma: figura, species
- iphone: dea, Aetheris et Terrae filia, una est ex tribus furiis
- elles: pictor eximius, qui eodem aevo cum Alexandro Magno floruit
- o: me ostendo, praesto sum
- ens: doctus, prudens, bene sanus
- sis: gladius
- gum: dorsum bestiarum et hominis
- da: mons Troadis altissimus
- osthenes: princeps Graecorum oratorum, discipulus Isocratis et Platonis
- cilium: est conventus hominum
- mes: callis, semita transversa
- iodus: vetus poeta, Ascraeus nominatus
- tus: aeris concitati motus
- t: idem ac: tam multi
- nus: Beli filius, maritus Semiramidis
- les: quicumque militiam exercet
- bria: regio Italiae inter Appeninum et mare superum
- gesta: oppidum Siciliae occidentalis
- ctator: cognomen fuit Q. Fabii Maximi
- lor: cruciatus, maeror
- ba: tumultus
- gas: homo excelsissimae staturae
- mascus: urbs Syriae
- nus: dea pulchritudinis
- vacrum: balneum.

Litterae vocabulorum, quae desiderantur, recte expletae et deorsum lectae sententiam reddunt.  
Eug. Fray.

### Libri dono accepti.

1. *Alexander Nagy*: Stenographia Latina. 1923. Magyar Gyorsírók Egyesülete, Budapest, II., Orsó-utca 29. (Societas Stenographorum Hungaricorum hoc opus, quisquis dono accipere vult, sine pretio<sup>1</sup> transmittit.


2. *Parthenon*: (Societas Amicorum Litterarum<sup>2</sup> Humanarum<sup>2</sup> Hungarica.) Acta Societatis: Fasciculus<sup>3</sup> IX. — Carmina *Horatii* selecta

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. — Negotiorum curator: F. Kohl iun.

in usum iuventutis studiosae ad<sup>4</sup> modos<sup>4</sup> aptata.<sup>4</sup> Modos partim collegit, partim composuit *Iosephus Wagner*. Budapestini, Typis I. Gottliebi MCMXXXIV. — Prostat<sup>5</sup> in Hungaria apud *Iosephum Fraknóy*, Budapest, VIII., Trefort-utca 8. Pretium est pro Hungaria 2 pengő, pro exteris nationibus 3 pengő.

3. *M. M. C. Williams*: Angol nyelv-tan-folyam. («Steppin-stones» to english, an english course.) I. rész. Budapest, 1934. A szerző kiadása. Don Bosco-nyomda.

<sup>1</sup> ingyen <sup>2</sup> klasszikus műveltség <sup>3</sup> kötet <sup>4</sup> megzenésített <sup>5</sup> kapható.



Omnes socios, qui singula ephemeridis exempla urgent, vel quascunq; pecunias mittunt, rogamus, ut administratorem adeant (*Alexander Regényi*, Budapest, VII., Barcsay-u. 5.), si retardationem et moram facere nolunt. Contra solutiones aenigmatum et omnia, quae ad *Iuventutem* ipsam spectant, moderatori mittantur.

Certamen cum praemio propositum (vide numerum 1.) prolongatur ad. Cal. Febr. Exitus certaminis mense Februario vulgabitur.

1. *Dehény*. Gratias pro tua epistola copiosa. Quandocunq; venies, gratum te exspectatumq; venturum scito! — *Ant. Leopold, Steph. Hein.* Opusculum iam dudum exoptatum tandem advenit. Gratias maximas! — *Aem. Láng, Val. Fehér, Ferd. Koch et Car. Ács, Ed. Mayer.* Manuscripta promissa mature accepi, quibus lectores iam delectari possent. — *Alb. Gombos, Eng. Fray, S. Boros.* Manuscriptis advenientibus numerus 4. iam sub prelo missus erat, ut lectores etiam ante sollemnia natalicia Christi accipere possent. — *Steph. Emericus.* Aenigmata tua facillima sunt. Mitte difficiliora. — Collaboratores rogantur, ne aenigmata ad saltum equulei dissolvenda componant, quorum iam magna vis apud moderatorem cumulata est. Sententiarum et proverbiorum quoque satis habemus, quae cum lectores nostri etiam in gymnasiis quotidie audiant, legant et discant, cum grano salis in *Iuventute* prodibunt. — *St. Pivársi.* Autodidactis linguam Britannicam discere volentibus maxime librum, qui in pagina 40. notus redditur, commendamus, cuius methodo qui utitur etiam sine magistro pronunciationem in hac lingua difficillimam percipit atque comprehendit.

Conclusio 5. fasciculi adornandi Id. Ian. (13. die Ianuarii.)

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiszkolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)



### LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓIFJÚSÁG SZÁMÁRA

Moderator ephemeridis *IOSEPHUS WAGNER DR.* Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (Teleph.: 68-6-34), ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administrator ephemeridis *ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-utca 5.*, ad quem pecuniae quaecunq; dirigantur. (Postatak. csekkész. 57.292.)

Prodit Budapestini decies in anno. Pretium subnotationis an. 1934—35. est pro Hungaria 3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.




### Iuventus 1910—1935.

Novus annus diem anniversarium XXV. *Iuventutis* conditae affert. Auctor<sup>1</sup> ephemeridem condendi Latinam primus *Antonius Prónay*, magister Scholarum Piarum erat. Paulo post, Calendis Ian. a. 1910 numerus I. ephemeridis nostrae a moderatore *Stephano Székely* sociis adiuvantibus *Aladaro Friml*, *Iulio Fodor* et *Adalberto Danczer* editus est. Conditores *Iuventutis* ad sibi proposuerant, ut tironibus labor linguae ediscendae facilius redderetur, ipsique discipuli suismet opusculis et materiam ephemeridis auferent et usum stili Latini sibi asciscerent. Tempora mutantur! Tunc,

ut in Hungariā integrā, moderator sociique studio linguae Latinae incensi<sup>2</sup> multo maiora sibi proponere<sup>3</sup> potuerunt, quam nos. Annis

1911—1914 *Iuventus* tot milia lectorum ubique gentium habebat, ut editiones separatae cum adnotationibus Gallice atque Germanice scriptis publicari possent. Pretium annum ephemeridis Calendis et Idibus cuiusque mensis — excepto Iulio et Augusto — prodeuntis octonasque paginas habentis 4, extra Hungariam 5 coronae solvebantur.<sup>4</sup>

Quamquam bello coorto<sup>5</sup> maximam par-



Steph. Székely (1863—1925.)


<sup>1</sup> indítványozó <sup>2</sup> hevülő  
<sup>3</sup> célokat tűz ki <sup>4</sup> fizettek  
<sup>5</sup> kitörésekor.

tem subnotatorum<sup>6</sup> extra Hungariam amissimus, tamen scholae Hungaricae ephemeridem Latinam Josepho Irsik moderatore, etiam cum belli finis factus est, sustinebant, dum communistae die 21. Martii a. 1919 rerum potiti<sup>7</sup> ephemerides et acta<sup>8</sup> diurna<sup>8</sup> civilia omnia, ergo etiam Iuventutem tunc ab Iosepho Huszti redactam<sup>9</sup> sustulerunt.<sup>10</sup> Mense Augusto communistae effugere coacti sunt. Sed annis septem insequentibus, cum regnum pace infelici mutilatum<sup>11</sup> inflatione pecuniae vexaretur,<sup>12</sup> Iuventus nondum reviviscere<sup>13</sup> potuit.

Autumno anni 1926., cum deflatione facta pretium monetae<sup>14</sup> pengő stabile factum esset, ephemeris nostra initiatori atque moderatore Elia Kemenes resurrexit. Dehinc singulis mensibus semel moderatoribus Iosepho Irsik et postea Eugenio Fray prodit. Sed pretium annuae subnotationis (pengő 4-80) propter discrimen<sup>15</sup> oeconomicum<sup>15</sup> universum anno 1933—4 ad hoc, quod nunc est, minuendum fuit. Nihilominus favore lectorum conspicuo<sup>16</sup> permoti singulis mensibus 4 paginis plus, id est 12 paginas praebere constitueramus, quo magis maiores, minores minime lectorum invenirent, quae sibi maxime placerent. Quamquam difficultate pecuniarum transmittendarum<sup>17</sup> usque adhuc impediemur, quominus ephemeridem etiam extra Hungariam propagaremus, tamen habemus iterum nonnullos in exteris nationibus socios et lectores, quos novo anno ineunte aequae ac compatriotas<sup>18</sup> nostros rogamus, ut ephemeridem Iuventutem etiam in posterum amplectantur.<sup>19</sup>

Sit novus annus bonus, felix, faustus fortunatusque omnibus sociis lectoribusque nostris et reddat nobis amicos externos veteres, quibuscum ephemeride nostrā ante bellum coniungebamur!

<sup>6</sup> előfizető <sup>7</sup> a hatalmat kézre kerítették és <sup>8</sup> hírlap <sup>9</sup> szerkeszt <sup>10</sup> megszüntet <sup>11</sup> megcsönkített <sup>12</sup> sanyalódik <sup>13</sup> újjáéledni <sup>14</sup> ércpénz <sup>15</sup> gazdasági válság <sup>16</sup> szembeszökő <sup>17</sup> átutalás <sup>18</sup> honfitárs <sup>19</sup> felkarol.



### De origine testudinis.

(Fabula Alexii Benedek.)

Tempore, quo Iesus nondum in coelum rediit, sed hic in terra versabatur, intravit casam<sup>1</sup> feminae cuiusdam avarae, ut ab ea frustum<sup>2</sup> panis<sup>2</sup> rogaret. Femina, quae Dominum ignoravit, dixit ei: «Cras veni, tum accipies!»

Postero die in furno<sup>3</sup> posuit paniculum<sup>4</sup> quem si Iesus adesset, ei daret. Sed uti emisisset, vidit paniculum ad decemplicem crescere. Nunc iterum avaritate adducta, haec secum<sup>5</sup>olvebat: «O mendicum, frustra venies, ex hoc pane nil accipies!»

Vix ea fata erat, «mendicum» propinquare sensit. Cito se sub testu<sup>6</sup> abdidit, haec filiae suae dicens: «Dic ei me domo abiisse!»

Dominus, qui omnia vidit et scivit, sic puellam allocutus est: «Ubi est matercula tua?»

— Abiit, nescio quo? — respondit illa.

Ad quae Dominus:

— Si abiit, pro avaritate in aeternum tergerat testu, sub quo nunc quoque se abdidit!

Dixit Iesus, abiitque. Femina autem in testudinem mutata est.

Stephanus Csics.

<sup>1</sup> ház <sup>2</sup> darab kenyér <sup>3</sup> kemence <sup>4</sup> cipő <sup>5</sup> forgatta eszében <sup>6</sup> teknő.

### Ad misericordem.<sup>1</sup>

Sine sede,<sup>2</sup> sine cibo,  
Sine vestimento  
Esse multos miserorum,  
Amice, memento.<sup>3</sup>

Ergo si is ambulatum,<sup>4</sup>  
Semper eos quaere,  
Si quos possis adiuvare  
Forsitan et aere...<sup>5</sup>

Mundi magnus Imperator:  
Christus, Deus noster,  
Si quae ius sit fecerimus,  
Benedicat nos ter!

Steph. Farkas.

<sup>1</sup> könyörületes <sup>2</sup> lakás <sup>3</sup> jusson eszedbe! <sup>4</sup> sétálni <sup>5</sup> aprópénzzel.



### Dickens latro putatur.

Carolus Dickens, cum nomen eius iam clarissimum factum esset, Romam profectus est, ubi mirifici casus particeps erat. Cum in Colosseum isset, aliquamdiu<sup>1</sup> ibi manebat, ut magnificentiam artis Romani admirari posset. Fures quoque erant illic complures, quos cavendos esse animadvertit.<sup>2</sup> Quodam<sup>3</sup> vespere aliquis ex angulo<sup>4</sup> amphitheatri venit et scriptorem praeteriens trusit.<sup>5</sup> Dickens etiam sine voluntate in fundam<sup>6</sup> vestis manum demisit et territus horologium<sup>7</sup> deesse sensit.

Hominem sequi contendit<sup>8</sup> et fortiter eum quassabat. Dickens mediocriter peritus linguae Italicae magna voce clamabat: «Orologgio, Orologgio». Ille horologium tradidit. Animo<sup>9</sup> cogitare<sup>9</sup> possumus, quam inopinato<sup>10</sup> acciderit ei,<sup>10</sup> cum horologium domi in armario conspexerit; quod enim secum portare oblitus erat. Statim se ad praefecturam contulit, ubi possessorem horologii convenit. Sic alter alterum in vicem furem esse putabat.

Ex Anglico in Latinum vertit  
Paulus Szilasi.

<sup>1</sup> egy ideig <sup>2</sup> észrevesz <sup>3</sup> egy <sup>4</sup> szöglet <sup>5</sup> meglökte <sup>6</sup> zseb <sup>7</sup> óra <sup>8</sup> igyekezett <sup>9</sup> elképzelni <sup>10</sup> meglepetés érte.

### Caesar et astrologus. (3.)

Scr. J. Wagner, in Latinum conv. Aem. Láng.

Adest fatalis dies. Dilucescit.<sup>1</sup> Romae vita quotidiana incipit. Strepitus rotarum ex<sup>2</sup> plateis<sup>2</sup> auditur. Signum tubā datur: alii milites<sup>3</sup> in<sup>3</sup> stationem<sup>3</sup> aliorum<sup>3</sup> succedunt.<sup>3</sup>

Caesar paulisper in<sup>4</sup> cogitationibus<sup>4</sup> defixus<sup>4</sup> frontem feriebat: digitus eius sanguine

respersus est. Ungue scilicet verrucam<sup>5</sup> refricuit.<sup>6</sup> «Sufficiat hodie hoc sanguinis» dixit ingemiscens.

Hodie nemini<sup>7</sup> ad Caesarem aditus<sup>7</sup> est.<sup>7</sup> Ille ipse in amplis penetralibus nec pransus nec potus inerrat.<sup>8</sup> Angoribus conficitur. Prae<sup>9</sup> nimia<sup>9</sup> contentione<sup>9</sup> animi<sup>9</sup> et vehementibus cogitationibus aestuat.<sup>10</sup> Aggreditur<sup>11</sup> legere. P. Papinius Stadius, deliciae<sup>12</sup> eius,<sup>12</sup> inclytus<sup>13</sup> ille poeta, qui in Capitolinis certaminibus victor exstitit, hodie non est idem atque alias.<sup>14</sup> Nunc tantum intelligit humiles adulationes esse, quae ille scripserit. Epigrammata M.



Valerii Martialis, facetiae<sup>15</sup> eius acerbae et aculei<sup>16</sup> ingeniosi in adultores, caudicis,<sup>17</sup> medicos,<sup>18</sup> captatores<sup>19</sup> hereditatum,<sup>19</sup> poetas<sup>20</sup> malos,<sup>20</sup> feminas inter pectinem<sup>21</sup> et speculum<sup>22</sup> occupatas et ceteros alios, quae omnia alias risum<sup>23</sup> moverunt,<sup>23</sup> hodie inania verba, dicta insulsa<sup>24</sup> et<sup>24</sup> inepta<sup>24</sup> esse videntur. Id unum semper secum<sup>25</sup> volvit,<sup>25</sup> quomodo cursum temporis, fatalem horam appropinquantem retineat. Hora quinta iam transiit!

Caesar oculos operire.<sup>26</sup> Totam vitam oculis animi percurrere. Praeterita sibi renovare. In

<sup>1</sup> pitymallik <sup>2</sup> az utcák felől <sup>3</sup> az órséget felváltják <sup>4</sup> gondolataiba merülve <sup>5</sup> szemölcs <sup>6</sup> fölvakarta <sup>7</sup> senki sem mehet be <sup>8</sup> ténfereg <sup>9</sup> lelki túlfeszültség miatt <sup>10</sup> nem tud megnyugodni <sup>11</sup> kezd <sup>12</sup> kedvence <sup>13</sup> híres <sup>14</sup> máskor <sup>15</sup> él <sup>16</sup> csipkelődés <sup>17</sup> ügyvéd <sup>18</sup> orvos <sup>19</sup> örökségvadász <sup>20</sup> fűzfapoéta <sup>21</sup> fésű <sup>22</sup> tükör <sup>23</sup> megneveztet <sup>24</sup> izetlen és idétlen <sup>25</sup> eszében forgat <sup>26</sup> behúnnya: int. hist.

mentem sibi venire: Titum, fratrem maiorem imperium secum dividere noluisse. Quam iratus illi fuisset! Saepe cum animo id agitasse quomodo eum e<sup>27</sup> medio<sup>27</sup> tollere<sup>27</sup> posset, cum Titus repente moreretur. Quanta voluptate perfusus fuisset, cum hereditatem Flaviorum acciperet. Qui<sup>28</sup> eā fruitus esset! Quantam laetitiam ex adversario<sup>29</sup> senatu fracto percipisset! Quam gloriosum fuisset ex Chattis et Marcomannis triumphum egisse, cum auratis quadrigis, laurea coronatus et vestibus triumphalibus indutus magna cum celebritate et pompa<sup>30</sup> per Urbem veheretur! Quam ebrius<sup>31</sup> fuisset dulci fortuna! Quantam molestiam<sup>32</sup> traxisset<sup>32</sup> ex oppressis viris novarum<sup>33</sup> rerum<sup>33</sup> cupidus,<sup>33</sup> qui cuncti capiti<sup>34</sup> suo<sup>34</sup> insidiarentur.<sup>34</sup> Ceterum homines omnes<sup>35</sup> ad<sup>35</sup> unum<sup>35</sup> fraudulentos et perfidos esse. Etiam feminas! Quot bestias vidisset in vultus muliebres transformatas, ut<sup>36</sup> Messalinam et Agrippinam! Etiam Domitiam iam fide indignam esse, ex quo, auctore Augusto<sup>37</sup> marito,<sup>38</sup> Paris, saltator,<sup>39</sup> qui gratiā illius floreret, occisus fuisset. Unum fuisse omnium fidelissimum, quem in<sup>40</sup> sinu<sup>40</sup> gestaret,<sup>40</sup> pumilionem,<sup>41</sup> illum parvo portentosoque<sup>42</sup> capite,<sup>42</sup> qui per omne gladiatorum spectaculum ante pedes sibi staret coccinatus.<sup>43</sup> Si viveret, eum consilio adhiberet, quid faceret.

Caesar aperit oculos et intrantem cubicularium,<sup>44</sup> Parthenium interrogat, quā hora sit.

Parthenius horam sextam multo ante iam umbrā gnomonis<sup>45</sup> tactam fuisse dicit.

Tam celeriter lapsa est fatalis hora? Quam me fefellit tempus! Itaque ergo iam non versor in periculo, io triumphe, non periclitor! Me renatum esse sentio. Sed tunc astrologus omnino mentitus est! Quid igitur? Iam tempus est prandendi. Lippiunt<sup>46</sup> fauces fame! Appetitio<sup>47</sup> tam excitata est, ut cibus<sup>48</sup> pol<sup>49</sup> salivam<sup>49</sup> moveat.<sup>49</sup>

Cum Caesar laetitiam iuveniliter exsultans<sup>50</sup> ad vestem mutandam festinaret, nunciatum ei est esse, qui nescio quid magnum afferret, nec differendum esse. Itaque summotis omnibus iterum in cubiculum<sup>51</sup> se recepit, ubi intranti repente siccae<sup>52</sup> vibrant<sup>53</sup> et exinde quiratio<sup>54</sup> atque gemitus morientis auditur. Septem vulneribus confossus incidit ad terram et «astrologus... hora sexta... Domitia... tu hoc fe-

cisti... sacra<sup>55</sup> esto!... «his dictis vita cum gemitu sub umbras fugit. (Fimis.)

<sup>27</sup> láb alól eltenni <sup>28</sup> hogyan <sup>29</sup> akadémkoskodó <sup>30</sup> díszmenet <sup>31</sup> mámoros <sup>32</sup> boszankodik <sup>33</sup> forradalmár <sup>34</sup> életére tör <sup>35</sup> mind egy szálíg <sup>36</sup> mint pl. <sup>37</sup> ő felsége <sup>38</sup> férj <sup>39</sup> táncos <sup>40</sup> nagyon szeret <sup>41</sup> törpe <sup>42</sup> torzfejű <sup>43</sup> bíborba öltözve <sup>44</sup> komornyik <sup>45</sup> mutató a napórán <sup>46</sup> ég <sup>47</sup> étvágy <sup>48</sup> az étel után folyik a nyálam <sup>49</sup> Polluxra! <sup>50</sup> újjongva <sup>51</sup> öltözészoba <sup>52</sup> tör <sup>53</sup> villan <sup>54</sup> segélykiáltás <sup>55</sup> átkozott.

## Hypatia.

(2.)

Scripsit *Carolus Kingley*. Hungarice reddidit *Arpadus Zsigány*. Excerptis atque in Latinum convertit: *Valentinus Fehér*.

Adolescens monachus duos iam dies Nilo vehebatur. Passim occurrit monachis, quos interrogavit, proculne esset Alexandria; at semper responsum est ostia<sup>1</sup> Nili complurium dierum itinere abesse.

In cogitationibus defixus<sup>2</sup> erat, cum repente post ripae flexum ingens barcula<sup>3</sup> emersit, in qua milites barbari insolito cultu<sup>4</sup> atque ingenti corporis magnitudine aliquam molem in aqua natantem venabantur. In prora vir ingens barbarus stabat cum iaculo hamato,<sup>5</sup> cum interea barbarus iunior funem alterius iaculi circum trabem intorquebat; quod iaculum in tergo hippopotami<sup>6</sup> lato infixum erat.

Philammo ut barculam ornatam ac floribus decoratam aspexit, celeriter avertit oculos et de via decedere maturavit; nam inter barbaros puellas hilariter cachinnantes<sup>7</sup> conspexit, quae pulcherrimas Graecas vestes, micantia ornamenta, torques,<sup>8</sup> armillas,<sup>9</sup> flores gerebant.

Ut hippopotamus conspexit Philammonem, furore caecus in eum incurrit et adeo impulit<sup>10</sup> lintrem imbecillam, ut minutim<sup>11</sup> frangeretur et subinde<sup>12</sup> ingenti ore aperto impetum fecit in Philammonem; qui tamen, cum optime nataret, celeriter sub aquam mersus vitavit horrendos monstri<sup>13</sup> dentes; tum post tergum emersus cultro monstrum summis viribus fodit. Momento temporis barcula iam adfuit et barbarus ferrum capulo tenus<sup>15</sup> in monstro defixit. Hic ictus percussit cor animalis, quod aliquotiens palpitans<sup>16</sup> tergo sursum verso im-

<sup>1</sup> torkolat <sup>2</sup> elmerült <sup>3</sup> bárka <sup>4</sup> viselet <sup>5</sup> szigony <sup>6</sup> viziló <sup>7</sup> kacag <sup>8</sup> nyáklánc <sup>9</sup> karperec <sup>10</sup> meglök <sup>11</sup> darabokra <sup>12</sup> utána rögtön <sup>13</sup> szörnyeteg <sup>14</sup> szurkál <sup>15</sup> markolatig <sup>16</sup> rángatózik.

motum in aqua manebat. Tum barbarus monachum arrepta cervice sublatum in barculam imposuit.

Philammo admirans liberatores circumspexit. Erant viri ingentes ossuosi<sup>17</sup> albo vultu, rutila<sup>18</sup> barba, flavis crinibus. Nihil quidem ex lingua eorum intelligebat, tamen cognovit illos esse Gothos.

— Nonne, Vulfi, probus est iste puer? — quaerit vir iaculo hamato armatus ex altero, qui pellem ursinam<sup>19</sup> gerebat. — Percontare ex eo, ubi situm sit illud Asgardum.

Vulfius quaesivit aliquid sua lingua, quod tamen Philammo non intellexit.

— Graece interroga, senex.

— Heus<sup>20</sup> tu, Pelagia! — inclamat ille puellas — quaere ex hoc homine, longēne ubique sit Asgardum.

Pelagia progreditur. Ista puella viginti duorum annorum quasi femina ex antiquissima Graecorum aetate apparebat; voxque eius, ut Attica lingua optima loqui coepit, tam pulchre sonabat, quam cum vitreae<sup>21</sup> margaritae in patinam argenteam decidunt.

— Asgardum? — iterat Philammo. — Quodnam Asgardum?

— Civitas deorum immortalium.


— Civitas Dei in caelo est — respondet Philammo.

Tum magnus oritur cachinnus.<sup>22</sup>

— Monachum exsecratum!<sup>23</sup> — clamat Vulfius. — Sed qui<sup>24</sup> potest scire servus iste, ubi sit deorum civitas?

— O isti monachi omnia sciunt — ait Pelagia — multa milia eorum habitant in solitudine, in qua nullus est angulus, quem non peragrarint. Si iste dicit Asgardum hac<sup>25</sup> non esse, credere debes.

— Equidem — inquit tertius barbarus, cui



Penetralia Domitiani (pag 43.). Reconstructio.

nomen erat Smidio — istum monachum verum loqui existimo. Simius<sup>26</sup> ille praefectus ideo dixit Asgardum decem dierum itinere abesse ab Alexandria, quod a nobis se liberare volebat.

— Audin, Vulfi? — exclamat Amalricus, dux Gothorum — Smidius rem acu tetigit:<sup>27</sup> illa Graeca vulpes timet nos, itaque nos de cervicibus depellere<sup>28</sup> voluit.

— Gothi! filii Odini! — tonat iterum Amalricus. — Redeamus et fuste dolemus<sup>29</sup> illum fraudatorem. Nos quadraginta totam urbem male accipere<sup>30</sup> poterimus: duobus diebus expilabimus<sup>31</sup> et incendemus. Deinde accersemus<sup>32</sup> ex Hispania Vandalos et Constantinopolim capiemus.

— Agite, agite! — clamant Gothi ferociter.

Gothi in scamnis<sup>33</sup> residunt; Philammo quoque remum strenue ac sollerter agitavit. Navis lente in Nilo Alexandriam versus labebatur.

(Ad numerum proximum.)

<sup>17</sup> csontos <sup>18</sup> rőt <sup>19</sup> medvebörkacagány <sup>20</sup> hól <sup>21</sup> üveg <sup>22</sup> kacaj <sup>23</sup> átkozott <sup>24</sup> hogyan <sup>25</sup> erre <sup>26</sup> majom <sup>27</sup> fején találja a szöveget <sup>28</sup> leráz a nyakáról <sup>29</sup> elpáhol <sup>30</sup> elbánik <sup>31</sup> kirabol <sup>32</sup> elhí <sup>33</sup> pad.

Chorus puerorum quatuor  
vocum inaequalium.

## Pro patria...

Horatius. Od. III. 2. Ad adolescentes.

Stephanus Kozáky.

*Maestoso.* 1. Dul - ce et de - co - rum 'st pro patri - a mo - ri: Mors

2. Vir - tus re - pul - sae ne - scia sor - di - dae, In -

1. et fu - ga - cem per - se - qui - tur vi - rum, Nec par - cit im - bel -

2. ta - mi - na - tis ful - get (h)o - no - ri - bus, Nec su - mit aut po -

1. lis iu - ven - tae Po - pli - ti - bus ti - mi - do - que ter - go. Nec par - cit im - bel - lis iu - ven - tae.

2. nit se - cu - res Ar - bi - tri - o po - pu - la - ris au - rae. Nec su - mit aut po - nit se - cu - res.

I. *rit. e dimin.* II. *rit. e cresc.*

1. Po - pli - ti - bus ti - mi - do - que ter - go. 2. Ar - bi - tri - o po - pu - la - ris an - rae.

Auctor omnia iura sibi vindicat. Jus publice decantandi exemplaria necessaria emendo acquiritur, quae prostant apud:  
Georgium Kerényi, Budapest, I., Pauler-utca 17. — Pretium 0.10 pengő.

## Michaelis Fazekas (1766—1828)

Ludas Matyi. (Matthias Anser.)

Fabula comica quattuor exactionibus conscripta (1804)  
a Carolo. Acs Latine et summatim enarrata.

### Tertia exactio.

Interea Matthias frustra quaeritatus noctis<sup>1</sup> interventu<sup>1</sup> vix a pago abscesserat, cum iam alteram ultionem cogitabat. Tum cum late longeqe peregrinaretur, chirurgus cuidam famulabatur.<sup>2</sup> Nunc iterum ad eum se applicavit, ut chirurgiam ediceret, id quod ei, qui sollers<sup>3</sup> ingenio<sup>3</sup> esset, paucis mensibus luculenter<sup>4</sup> successit.<sup>4</sup> Chirurgicae igitur artis gnarus<sup>5</sup> veste magistri indutus et in habitum<sup>6</sup> chirurgicum<sup>6</sup> compositus<sup>6</sup> ad Doebroegium porro pergit. Hic nuntiato Doebroegio adesse quemquam chirurgum, quia etiam tum valde aegrotaret, laetus<sup>7</sup> et libens<sup>7</sup> Matthiam ad se admisit.<sup>8</sup> Matthias parumper gravari<sup>9</sup> coepit, mox exoratus<sup>10</sup> se in domum Doebroegii sistit.<sup>11</sup> Is in lecto cubans vehementer de doloribus tumoris<sup>12</sup> questus est oravitque Matthiam, ut sibi mederetur.<sup>13</sup> Matthias ad balneum<sup>14</sup> calefaciendum<sup>14</sup>

atque ad herbas<sup>15</sup> conquirendas servitiis<sup>16</sup> domesticis,<sup>16</sup> ut nemo in aedibus relinqueretur, ablegatis<sup>17</sup> dominum exploravit<sup>18</sup> et ore eius sudariis<sup>19</sup> velato,<sup>20</sup> verberibus probe<sup>21</sup> cecidit<sup>21</sup> atque pecuniā ex arca<sup>22</sup> depromptā propere se<sup>23</sup> ex conclavi proripuit<sup>23</sup> et in equum insiliens, citatim<sup>24</sup> abequitavit.

<sup>1</sup> az éjszaka oltalma alatt <sup>2</sup> szolgált <sup>3</sup> éleseszű <sup>4</sup> pompásan sikerült <sup>5</sup> kitanulva <sup>6</sup> felcsér alakját öltve magára <sup>7</sup> kész örömmel <sup>8</sup> beenged <sup>9</sup> vonakodik <sup>10</sup> engedve <sup>11</sup> beállit <sup>12</sup> daganat <sup>13</sup> gyógyítani <sup>14</sup> fürdőt készíteni <sup>15</sup> gyógyfű <sup>16</sup> házi cselédség <sup>17</sup> elküld <sup>18</sup> megvizsgálta <sup>19</sup> zsebkendő <sup>20</sup> betakar <sup>21</sup> jól megrakta <sup>22</sup> láda <sup>23</sup> kiosont <sup>24</sup> vágatva.

### Quarta exactio.

Doebroegius acriore morbo<sup>1</sup> correptus<sup>1</sup> a medicis artis peritissimis curatus tandem convaluit.<sup>2</sup> Matthiam equites insectantur,<sup>3</sup> sed

nequit<sup>4</sup> comprehendi.<sup>4</sup> Doebroegius vero cum ipsum nomen Matthiae Ludas, id est Anserarii audiret, tanto percuditur<sup>5</sup> pavore,<sup>5</sup> ut anseres pagi omnes excidio<sup>6</sup> destinaret.<sup>6</sup> At Matthias ne iterum se insinuaret,<sup>7</sup> aedes diu noctuque a militibus hastatis<sup>8</sup> custodiuntur. Atque forte fit; ut Doebroegii nundinae agerentur, ad quas Matthias equo advehitur. Hic adolescentulum equum magno pretio empturum pollicitus subornavit<sup>9</sup> ut ad raedam,<sup>10</sup> quā Doebroegius veheretur, adequitaret. Adolescentulus hanc pactionem<sup>11</sup> laetus et lubens inivit<sup>12</sup> et iam iuveniler<sup>13</sup> gestiebat<sup>13</sup> facinus<sup>14</sup> quoddam egregium<sup>14</sup> edere.<sup>14</sup> Ecce fit tumultus. Doebroegius raedā advehitur, lictores turbam increpantes submovent.<sup>15</sup> Adolescentulus cito<sup>16</sup> advolat<sup>16</sup> et «Heus,<sup>17</sup> heus, gradum<sup>18</sup> sistite, ego sum Matthias!» Doebroegius ad adolescentulum persequendum decem hastatos mittit, sed inceptum irritum<sup>19</sup> fuit.



Fördő-víz szaporán, és fűvek!

Tum Doebroegius equum celerrimum a raeda abiunxit<sup>20</sup> centumque aureos<sup>21</sup> promisit, qui equo conscenso Matthiam corripere. Sed Matthias, qui ex silva, in qua abditus latebat, provolans Doebroegium in raeda sedentem et ab omnibus relictum offendit arreptāque veste sic increpat: «Quid stupes,<sup>22</sup> non ille puer est Matthias, sed ego sum ille, quem tu fuste mulcasti pecuniamque ademisti». Doebroegius exanimatus<sup>23</sup> ex raeda evolvitur.<sup>24</sup> Sed Matthiam eius minime miseret, immo vero inclementer<sup>25</sup> eum verberavit, crumenamque<sup>26</sup> compilavit.<sup>27</sup> Tunc «Bono<sup>28</sup> animo<sup>28</sup> esto, te iam amplius<sup>29</sup> non verberabo», clamitans avolavit.

<sup>1</sup> betegségbe esvén <sup>2</sup> felgyógyult <sup>3</sup> üldözik <sup>4</sup> nem tudták megfogni <sup>5</sup> félelem fogta el <sup>6</sup> kiirtotta <sup>7</sup> be ne félközék <sup>8</sup> lándzsás <sup>9</sup> felbújt <sup>10</sup> utihintó <sup>11</sup> alku <sup>12</sup> belement <sup>13</sup> buzgott benne a fiatal vér <sup>14</sup> hogy valami jeles tettet vigyen végbe <sup>15</sup> szétosztalják <sup>16</sup> hirtelen ott terem <sup>17</sup> hej <sup>18</sup> álljatok meg <sup>19</sup> meghiusult <sup>20</sup> kifogta <sup>21</sup> aranyat <sup>22</sup> bámulsz <sup>23</sup> félholtan <sup>24</sup> kibukik <sup>25</sup> irgalmatlanul <sup>26</sup> erszény <sup>27</sup> kiüríti <sup>28</sup> ne félj <sup>29</sup> többet.

Doebroegius haec Dei voluntate facta sentiens crudelitate et superbiâ positâ<sup>30</sup> probe<sup>31</sup> et humaniter<sup>32</sup> vixit ad felicem usque vitae<sup>33</sup> exitum.<sup>33</sup>

<sup>30</sup> letesz, lemond <sup>31</sup> becsületesen <sup>32</sup> emberséges módon <sup>33</sup> élete végéig.



Hungari Iugoslavia expulsi adiuvantur. Cuius animus non tangatur<sup>1</sup> audientis Pontificem Maximum, Pium XI. per nuntium Angelum Rotta primati nostro, archiepiscopo Iustiniano



Serédi 3000 pengő expulsos adiuvandi causâ transmisisse? Multis modis undique homines miserandi beneficiis affecti sunt. Etiam lectores

Iuventutis statim pro se quisque liberaliter eis subvenerunt. Societas<sup>2</sup> autem Hungarica Artis<sup>2</sup> Gladii<sup>2</sup> ludos, qui academia dicuntur, magnificos edidit, quibus non solum nostri cives puerique gladiis, sed etiam balillae fascionis Italicae Budapestinensis gladiis<sup>3</sup> praepilatis<sup>3</sup> catervatim certantes intererant. Fructum<sup>4</sup> solidum<sup>4</sup> spectaculorum expulsi datum ex se intelligitur.

Provinciae Italiae augentur. Inter Italos Gallosque Romae convenit, ut coloniae Italiae 114 milibus chiliometrorum quadratorum in Lybia augerentur. Unâ cum Italia gaudemus de provinciâ novâ. Attamen quis miretur, si eodem tempore interrogamus: quando nos quidem Hungari non provincias, sed territoria quae per mille annos nostra erant et nunc quoque a fratribus nostris habitantur, recipimus?

Amicus noster illustrissimus Anglicus, Rothermerius Vindobonae a quodam diurnario<sup>5</sup> interrogatus respondit haud procul iam diem abesse, quo revisio etiam Societatem Nationum occupatam<sup>6</sup> teneret.<sup>6</sup>

Archiepiscopus Angliae Bourne ultimis horis anni praeteriti 73 annos natus mortuus est. Vir magni ingenii humili loco ortus iam 35 annos natus episcopus, 15 annis post cardinalis factus semper amicus sincerus Hungariae erat, et cum paucis ante annis ad sollemnia Sancti Emerici Budapestinum venisset, familiaritatem cum multis contraxit, quare obitum eius tota civitas luget.

Facies<sup>7</sup> Antonii Bonfinii, rerum scriptoris regis Matthiae, ab sculptore<sup>8</sup> Zoltano Farkas sumptibus Dominici e comitibus Festetich ex aere<sup>7</sup> facta<sup>7</sup> 18. die Decembris sollemniter urbi Budapestino donata est. Cum autem simulacrum in area ante portam principalem regiae posita esset, ipse gubernator, Nicolaus Horthy patronus regiae praesentibus primoribus civitatis, duce legationis Italicae, domino Ascanio Colonna multisque aliis novum monumentum accepit. A magistro civium<sup>9</sup> Asculi, ubi Bonfini quingentis ante annis natus est, Fradella medaliae aureae sculptori, comiti Festetich Eugenioque

<sup>1</sup> meghatja <sup>2</sup> Vívószövetség <sup>3</sup> vitor <sup>4</sup> tiszta jövedelem <sup>5</sup> újságró <sup>6</sup> foglalkoztat <sup>7</sup> bronz mellszobor <sup>8</sup> szobrász <sup>9</sup> polgármester.

Sipőcz traditae sunt. Partes ex opere Bonfinii selectas proxime publicaturi sumus.

Populi-scitum<sup>10</sup> Sarrense. Idus Ian. exinde in numero dierum laetorum in Germania habebuntur, hoc enim die populi-scitum Sarrensi hanc provinciam 15 annos a Gallis obsessam patriae reddidit. Facere non possumus, quin Germanis de exitu populi sciti amicaliter gratulemur. Utinam Nationum Societas concedat, ut etiam Hungari a complexu suorum sine populi-scito divulsi<sup>11</sup> haud<sup>12</sup> secus<sup>12</sup> libere sententiam verbis<sup>13</sup> efferre<sup>13</sup> possint!

Fragmenta e monumentis historiae Hungaricae in usum scholarum collecta notisque illustrata ab Albino Francisco Gombos.

Vita s. Wicberti<sup>1</sup> fundatoris coenobii<sup>2</sup> Gemblacensis<sup>3</sup> auctore Sigeberto<sup>4</sup> Gemblacensi monacho.<sup>5</sup>

(Quae ex «Vitas» ad res Hungaricas pertineant.)

Saepe nominatus et saepe nominandus nobis dominus Wicbertus tam gratus fuit Deo, ut dignus fuerit etiam apostolicae praedicationis ministerio. Gens siquidem<sup>7</sup> Ungarorum, quae quibusdam munitissimis clusis<sup>8</sup> remota, nec ad meridianam nec ad occidentalem plagam exeundi habuerat facultatem, per Arnulfum<sup>9</sup> imperatorem ruptis clusis emissa, mortuo Arnulfo imperatore, totam Italiâ, totam Germaniam ut fera tempestas vario vastationis genere depopulata<sup>10</sup> est per annos circiter quinquaginta. Haec gens etiam tempore primi Ottonis<sup>11</sup> aggressa<sup>12</sup> Lotharingiam, deducta est a duce Conrado<sup>13</sup> usque ad silvam Carbonariam,<sup>14</sup> et virtute Dei apud Lobiense<sup>15</sup> coenobium ostensa<sup>16</sup>, prohibita ultra prodire, rediit impune. Ungaris ergo et eundo et redeundo per vicum Gemmelacensem<sup>3</sup> transeuntibus, occurrit vir Dei Wicbertus, non clipeo aut galeâ materiali protectus, sed tantum gladio verbi Dei accinctus, paratus bibere calicem passionis et ponere<sup>17</sup> animam suam propter salvandas fratrum animas, quâ, ut dicit Veritas, non est maior caritas. Et primo miles

<sup>10</sup> népszavazás <sup>11</sup> elszakított <sup>12</sup> ép olyan <sup>13</sup> kifejezésre juttatni.

Christi secundum praeceptum evangelii offerens illis verbum pacis, ingressus est viam praedicationis et paulatim mitigatâ eorum rabie, coepit iam agere de eorum salute. Nec destitit illis idolatriae<sup>18</sup> spurcitiâ<sup>19</sup> sordentibus<sup>20</sup> pandere fidei dogmata et regis aeterni mysteria, donec aliquos eorum a regno diaboli<sup>21</sup> abstraxit, eosque abiurantes<sup>22</sup> sacramenta<sup>22</sup> diabolicae militiae, transscripsit in novum nomen Christianae militiae. Benedictus Deus per omnia, Wicberto sub signis suis militanti affuit, eique civicam coronam tribuit.

<sup>1</sup> Obiit a. 962. <sup>2</sup> monostor <sup>3</sup> Gembloux prope Namurcum (hodie: Namur) in regno Belgarum. <sup>4</sup> Ob. a. 1112. <sup>5</sup> szerzetes <sup>6</sup> Scripta ante a. 1071. <sup>7</sup> különben <sup>8</sup> Gyepük: Hungari olim usque ad tempus imperatoris Arnulfi munitissimis arte et natura factis a populis Europae seclis esse putabantur. <sup>9</sup> 887—899. <sup>10</sup> feldúlta <sup>11</sup> 936—973. <sup>12</sup> A. 954. <sup>13</sup> Gener Ottonis I imperatoris, dux Lotharingiae, qui in proelio cum Hungaris commisso iuxta fluvium Lech occisus est a. 955. <sup>14</sup> Ardennek. <sup>15</sup> Lobbes in regno Belgarum <sup>16</sup> kinyilatkoztat <sup>17</sup> feláldozni <sup>18</sup> bálványimádás <sup>19</sup> fertő <sup>20</sup> senyved <sup>21</sup> ördög <sup>22</sup> esküjét érvénytelennek jelenti ki.



Res gymnica ab antiquis hieme haud colebatur. Horatius in carmine:

Vides, ut alta stet nive candidum  
Soracte,<sup>1</sup> nec iam sustineant onus  
Silvae laborantes,<sup>2</sup>

frigus non exercitationibus corporis, sed ligna super foco large reponendo merumque<sup>3</sup> bibendo dissolvi<sup>4</sup> iubet. Hodie tota iuventus, item per multi virorum mulierumque libenter sub divo<sup>5</sup> commorantur etiam hieme et Mons Suebus refertus<sup>6</sup> est multitudinis Budapestinensium soleâ<sup>7</sup> nivali<sup>7</sup> instructae, ubi sciatores<sup>8</sup> sciatricesque laete inter se in certamen<sup>9</sup> sciandi descendunt.<sup>9</sup> Multi malunt patinare<sup>10</sup> et soleis ferratis (=patinis) sumptis modo celeritate venti vehuntur lubricâ in glacie, modo varias figuras describendo, quin etiam saltando ad concentum<sup>11</sup> symphonicorum<sup>11</sup> spectatores des-

<sup>1</sup> hodie: Monte S. Oreste <sup>2</sup> görnyedező <sup>3</sup> szinbor <sup>4</sup> eloszlát <sup>5</sup> szabad ég alatt <sup>6</sup> hemzseg <sup>7</sup> sí <sup>8</sup> sijelők <sup>9</sup> versenyre kelnek <sup>10</sup> korcsolyázni <sup>11</sup> a zenekar játékára.

lectant. Alios iuvat traheā<sup>12</sup> vehi,<sup>12</sup> sunt, qui latera declivia montium quaerant cum rodellis<sup>13</sup>, quibus insidentes vel incubantes celeritate magis magisque accrescente se in planitiem de-



mittant. Ii denique, qui his omnibus instrumentis carent, e nive globulos<sup>14</sup> confingunt, quibus se incessent.

Quam periculosa gymnica hiemalia incautis esse possint, nihil magis demonstrat, quam multitudo eorum, qui primis diebus huius mensis tam infortunate prolapsi sunt, ut sodales collegii conservatorum<sup>15</sup> voluntariorum telephonice advocati vix vulneratis fractoque pede aut brachio iacentibus succurrere possent.

Ludus «hockey» ab optime patinantibus colitur. Pridie Calendas Januarias Canadenses invicti cum collegis Hungaricis coram immensā multitudine spectatorum certaverunt. Quamquam Canadenses alias 20 : 1 aut 15 : 0 vincere solent officioque<sup>16</sup> unius, qui nostrorum est optimus absentis alius fungebatur,<sup>16</sup> tamen nunc exitus certaminis 4 : 1 haud tam facile Americanos victoriā potitos<sup>17</sup> esse ostendit. Quare nostri sperant fore, ut in Helvetia, cum de primatu<sup>18</sup> Europensi certaturi sint, magis excellent.

<sup>12</sup> szánkózni <sup>13</sup> ródli <sup>14</sup> golyó <sup>15</sup> mentő <sup>16</sup> helyettesít <sup>17</sup> elnyer <sup>18</sup> bajnokság.

Acerbum est ab aliquo circumveniri :<sup>1</sup> acerbius a propinquo. (Cic. Pro Quinctio 31., 95.) Iniurias ferendo maiorem laudem quam ulciscendo merēbere. (Divin. in Caecil. 18., 60.)

<sup>1</sup> behálóz, rászéd



Iocosa.

Monachus<sup>1</sup> et vinum.

Monachus quidam, nomine Ioannes ad cenam invitatus est. Primum paterfamilias vinum suum hornum<sup>2</sup> ei ferri iubet. Monachus gustat vinum haud vetustum et dicit : — «Vinus bonus!»

Nunc herus vinum melius dat ei. Ioannes bibit et his verbis vertit se ad dominum : — «Vina bona!»

Paterfamilias postremo vinum vetustum optimae<sup>3</sup> notae<sup>3</sup> ex apotheca<sup>4</sup> sua monacho dari iubet. Sacerdos poculum exhaurit : — «Vinum bonum!»

Dominus tunc suspenso<sup>5</sup> animo<sup>5</sup> interrogat fratrem : — «Cur dixisti primum «vinus bonus», deinde «vina bona» et nunc «vinum bonum?»

Hospes subridens<sup>6</sup> respondet : — «Heu amice, quale vinum, tale Latinum!»

Eugenius Keller, VIII. cl. gym. Em. Wagner, Rákospalota.

Uxor (ad coniugem affirmantem se didicisse stenographiam) : Didicistine iam tam velociter scribere ac — verbi gratia — ego loquor?

— Tam velociter iam scribo, sed tam diu — non.

Signum.

A. : Nonne ideo nodus in sudario<sup>8</sup> tuo est, ut te alicui rei commonefaciat?

B. : Ita. Uxoris iussu nodum feci, ut postam mihi praetereunti epistolam eius in theca<sup>9</sup> tabellaria<sup>9</sup> deponere in mentem veniret.

A. : Et dimiseras?

B. : Non, quia uxor mea epistolam mihi tradere oblita est.

In balneo.<sup>10</sup>

Coactor<sup>11</sup> (ex aerario ad colonum de pretio sciscitantem) : Pretium tesseræ<sup>12</sup> 1.20 pengő

<sup>1</sup> szerzetes, barát <sup>2</sup> idej, nem óó <sup>3</sup> elsőrangú <sup>4</sup> bor-pince <sup>5</sup> kíváncsian <sup>6</sup> mosolyogva <sup>7</sup> gyorsírás <sup>8</sup> zsebkendő.

est. Sin duodecim tesseras emis, tantum 12 pengő solvere debes.

Colonus: Quid? Duodecies balneo utar? Et quaeso, quis me adhuc duodecim annos in vivis fore confirmare potest?

Pedes hippopotami.

— Mater mi, gloriatur parvulus, hodie ego e naturali historia responsum dedi omnium optimum.

— Veni, ut deosculer te, deliciae meae! Et quid te magister tuus interrogavit?

— Quot pedes habet hippopotamus? Haec fuit interrogatio, et ego dixi: tres.

— Quid? Quomodo potuit ergo responsum tuum, ut ais, esse optimum?

— Reliqui pueri tantum duos pedes dixerunt.

Felicianus Gundán dr.

Judex ad reum. (Qui multos fustes portans advenit) : Cur apportavisti tam multos baculos?

Reus: Quia defensionis meae consulere debeo.

Magister: Dic mihi, Stephane, cur scholas adimus?

Discipulus: De hac re etiam ego multum cogitabam.

Victor Kósa.

Epitaphium ludi magistri.

Grammaticam didici docuique plurimos annos.

Declinare<sup>13</sup> tamen non potui tumulum.

Tempore dilectus<sup>14</sup> medicus interrogat iuvenem, qui militiam subterfugere<sup>15</sup> voluit :

— Quo morbo laboras?

— Cor meum palpitat<sup>16</sup> — respondet ille.

— Pro patria palpitat, mi fili. Miles egregius fies.

M. Szahulesik.

<sup>13</sup> postaszekrény <sup>14</sup> fürdő <sup>15</sup> pénztáros <sup>16</sup> belépő-jegy <sup>17</sup> szójáték: ragozni, elhárítani magától <sup>18</sup> sorozás <sup>19</sup> kibujni... alól <sup>20</sup> sebesen dobog.

Szelvény — Scidula.

A Iuventus előfizetőinek Iuventus beneficium és olvasóinak azt a kedves subnotantibus lectoribus-vezményt nyújtja, hogy e que tribuit: hac scidulā szelvény beszoolgáltatása traditā libris ab Societate ellenében a Szent István-Sancti Stephani editis in Társulat kiadványait a kiadóhivatalban expeditorio

Budapest, VIII., Szentkirályi-utca 30.

100% árengedménnyel 10 centesimis minorá vásárolhatják. pretia constituuntur.

Terminus: 1. Aug. 1935.



Solutiones aenigmatum numeri IV.

- $x + (x - 25) + (x - 25) - 50 = 200$ ;  
 $x = 100$ ; anus 100 annos nata fuit.
- O terque quaterque beate pater.
- Opera.

4. Remus, bustum, Anna, gubernator, stipula, Sali, anima, mora, susurrus, atque querela, forma, Tisiphone, Apelles, pareo, sapiens, ensis, tergum, Ida, Demosthenes, concilium, trames, Hesiodus, ventus, tot, Ninus, miles, Umbria, Segesta, Cunctator, dolor, turba, gigas, Damascus, Venus, lavacrum. — Sententia Horatii: «Rebus angustis animosus atque fortis appare: sapienter idem contrahes vento nimium secundo turgida vela». (Carm. 2, 10, 21—24.)

Aenigmata recte dissolverunt: Budapestinum: Lad. L'Eplattenier (rg. Univ.), Eug. Seitz, Tib. Szelecsényi (rg. Matth.), Ioannes Radó, Steph. Imre, Lad. Tóth, (rg. Arpad), Barbara Medveczky, Teresia Benkő, Elis. Ivanovszky, Agnes Lukács, Clara Rónai, Elis. Turcsányi, Livia Mahler, Clara Keller et Maria Bendl, sorores Dobrovay, (thygatrogyimn. Paul. Veres), Magdalena Fajcsék, Marianna Renner (Sophianum), Alexander Losonczy (gymn. inst. prof. erud. adiunctum); Keszthely: Georgius Pál, Ioannes Pádár, Franc. Neiger, Jos. Szalay, Steph. Walter, Endr. Horváth, Victor Kósa, Marcellus Wolf, Alex. Zalakovics et Ioannes Indi, Eug. Bobay, Tib. Nyárády (rgymn.), Miskolc: VII. class. gym. cath. — Aenigmata numeri III. sero dissolverunt: Paula Szilasy (Soph.), Lad. Porjesz (rg. Matth.), Lad. Molnár (Salgótarján).

Premium sorte Mariannae Renner, Alexandro Losonczy et VII. classi gym. cath. (Miskolc) obvenit.

Dissolvendum ad saltum equulei.


1.

do	om	a
ni	re	Or
ni	est	ma
rum		um

Stephanus Imre. (IV. cl. gym. Arpad Budapest.)

2. Quid est, quod inest: in Europā, Africā, Americā et Australiā, tantummodo Asiae deest? Steph. Coics.

3.  $(li \times 3) + a + (tus\ tus\ tus\ tus\ tus)$ .



## Series libratae:

1. Templum Athenis.
2. Littera Graeca.
3. . . . ma: Rex Romanus.
4. . . . bantes: populus in Britannia.
5. . . . . Mater: cognomen Vestae.
6. Dilige.
8. At.
13. M. N.
15. Ille.

## Series directae:

2. Deus pastorum.
4. Ti. . . . : pastor in Bucolicis Vergilii.
6. . . . biter: iudex.
- 7—8. (retrorsum) = sed.
9. Deus Persarum.
10. . . tonius, collega Ciceronis consulis.
11. Eaedem literae consonantes.
12. Cuncta.
15. Hungarice: mi. *V. Kósa et A. Horváthi.*  
(VII. cl. rgymn. Keszthely.)

5.

Filia sum Mnemosynes; deducto centum quinquaginta de nomine meo sum et homo et animal.  
*Ios. Bölöny.*

## Libri dono accepti.

*Florilegium patristicum* in usum iuventutis studiosae. Editio Societatis Magistrorum Intermedioscholarium Catholicorum. Budapest. Fasciculus I. «Confessiones» Sancti Augustini. Excerpsit et notis illustravit *Eugenius Fray* dr 1933. Pretium 0.20 P. — Fasciculus II. «De officiis ministrorum» Sancti Ambrosii. Excerpsit et notis illustravit *Carolus Ács*. 1934. Pretium 0.20 P.


## Ephemerides Latinae.

*Societas Latina*. Annus II. Fasciculus V. Dec. 1934. — *L. Hecker*: Lingua auxiliaris internationalis — Inscriptiones Latinae recentiores. — Aenigmata. — Librorum recensio.

*Alma Roma*. Ann. XXI. Fasc. XII. Dec. 1934.

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. — Negotiorum curator: F. Kohl iun.

De «Congressu iuridico internationali». — De Latini sermonis elegantia. — Artes in catacubarum picturis. — Domesticae natalitiae feriae. — De fontibus iuris Italici. — De «embammate Magonensi». — Sapientium pervestigaciones a radiophonica Vaticana statione Latine vulgatae. — Ad sanitatem tuendam. — Colloquia Latina. — Annales. — Varia.



Certamen cum praemio propositum (vide numerum 1.) prolongatur ad Cal. Febr. Exitus certaminis mense Februario vulgabitur.

*M. Fajsek*. Gaudeo te carminibus Horatii non solum recitatis, sed etiam cantatis delectari. Pro tua Latinitate autem gratulari tibi. — *G. Weisz*. Mnemosyne, Bibliotheca Classica Batava. O. Harasowitz, Leipzig. Iocus tuus tempore prodibit. — *Lad. Gadl*. Epistulam, domine director honoratissime, tradidi administratori. Gratias pro favore benigno! — *L. Bokor*. Recte dixisti: imaginem Eugenii Sipőcz pictor noster clarissimus, Bartholomaeus *Karlovsky* pinxit. — *Al. Czuppon*. Exspecto photographiam promissam. Solutiones aenigmatum a discipulis magistro singillatim traditae etiam in eodem involucre epistolae positae mitti possunt. — *Barb. Medveczky*. Parte aenigmatum occasione datā utar. — *V. Kósa*. Librum tibi debitum admitti iussi. Miratus sum, cur non Latine chartam postalem scripsisses. Nam potes, si vis. — *Eug. Keller*. Opusculum tuum prodibit. Mox legere poteris in Iuventute, quae desideras. — *Em. Forró*. Quid novi in Batavia? — *Societas Latina*. *Alma Roma*. Libenter publicavi indices fasciculorum mensis Decembris ephemeridum Vestrarum sperans vice versā indicem Iuventutis quoque a Vobis collegialiter publicatum iri. — *Ant. Lepold*. Relationem, reverendissime domine, promissam, de excavationibus archaeologicis recentioribus sine dubio copiosiorē fore spero atque confido. — *Adamus Wilusz*. Cum aures ad meas venit, domine director honoratissime, Te cum discipulis tuis, lectoribus Iuventutis Budapestinum venturos, laetitiam ex spe amicos Polonos cognoscendi cepi. Eo usque pueri, Poloni atque Hungari, diligenter pergant litteras inter se dare et accipere! — *Georg. Kaul*, *Car. Ács*. Opuscula, socii carissimi, tempore prodibunt. Ad vos etiam litteras privatas daturus sum. — *Val. Fehér*. Stereotypa imaginum in translatione Hungarica Hypatae adhibita director Societatis *Franklin* bello universo materiā metallorum deficiente in publicum addicta esse affirmat.

Lectores nostros, qui impatienter nos urgent, ut opuscula sua edantur, rogamus, ut nos urgere desinant, quia fere quotidie nobis tot epistolae traduntur, ut nil nisi patientes eos esse iubere possimus. De reliquis litteris proximā occasione.

Conclusio 6. numeri adornandi Id. Febr. (13. die Febr.)

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedioscholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)



Moderator ephemeridis IOSEPHUS WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymángosi-utca 20. (Teleph.: 68-6-34), ad quem epistolae et manuscripta mittantur.

Administrator ephemeridis ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-utca 5., ad quem pecuniae quaecumque dirigantur. (Postatak. csekkasz. 57.292.)


Prodit Budapestini decies in anno. Pretium subnotationis an. 1934—35. est pro Hungaria 3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

## Bimillennium Horatianum.

(A. 65 a. Chr. — 1935 p. Chr.)

Casa Venusiae, ubi Q. Horatius Flaccus in lucem<sup>1</sup> editus<sup>1</sup> erat, non imaginibus maiorum ornabatur. Nec tamen unquam poëtam patris libertini paenituit, qui macro<sup>2</sup> pauper<sup>2</sup> agello<sup>2</sup> ausus est filium Romam portare docendum artes, quas equites atque senatores semet<sup>3</sup> prognatos<sup>3</sup> doceri<sup>4</sup> iuebant.<sup>4</sup> Adiecere bonae paulo plus artis Athenae, ubi iuvenem inter silvas Academiae philosophiae studio<sup>5</sup> deditum<sup>5</sup> rudemque<sup>6</sup> belli<sup>6</sup> Brutus in arma Caesaris Augusti lacertis<sup>7</sup> non responsura<sup>8</sup> vocavit. Horatius Philippos et celerem fugam sensit; tunc decisis<sup>9</sup> humilem pinnis<sup>9</sup> inopemque<sup>10</sup> paterni fundi paupertas impulit audax, ut versus faceret. Nemo poëtam in satiris ridentem dicere verum vetare potuit, quas cum etiam Maecenas, amicus atque fautor poëtarum maximus liben-

ter legeret, optimus Vergilius Variusque dixere, quid poëta esset. Horatius invitatus, ut coram Maecenate erat, singultim<sup>11</sup> et pauca locutus est: ille respondet, ut mos erat eius, pauca.



Poëta abiit et nono post mense revocatur iubeturque in amicum numero esse, placuit enim vitā et pectore puro Maecenati, atavis<sup>12</sup> edito<sup>12</sup> regibus.<sup>12</sup>

Non ebur neque aureum renidebat<sup>13</sup> in domo poëtae lacunar,<sup>14</sup> at fides et ingeni<sup>15</sup> benigna<sup>15</sup> erat vena,<sup>15</sup> quare pauperem dives eum petebat, in testamento autem Maecenas Augusto, quem heredem universum fecit,

<sup>1</sup> világra jön <sup>2</sup> egyszerű kisbirtokos létére <sup>3</sup> a maguk fiait <sup>4</sup> műveltető ige <sup>5</sup> tanulmányoz <sup>6</sup> katonailag kiképzetlen <sup>7</sup> karjai <sup>8</sup> egyenrangú ellenfél <sup>9</sup> szárnyaszegetten <sup>10</sup> elvesztve <sup>11</sup> akadozva <sup>12</sup> fejedelmi ősök sarja <sup>13</sup> ragyog <sup>14</sup> mennyezet <sup>15</sup> költői tehetség jócskán.